



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Mospvrg.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13578

- XLIV. SEBASTIANVS *Castner. Regen.* professus Monasterij inferioris *Altaba* Præpositus in *Rinchnach*, elig. 6. Octobr. an. 1569. præfedit an. 7. m. 7. d. 1. ob. 30. May, an. 1577.
- XLV. IOANNES III. administrauit Monasterium an. 1. m. 5.
- XLVI. BENEDICTVS Adm. an. 1. m. 10. d. 14.
- XLVII. MARCVS *Gesb* Professus Monasterij SS. *Vdalrici & Affra Augustæ*, elect. 16. April, ann. 1581. præfuit an. 10. mens. 11. d. 24. obiit die. 11. April. ann. 1592.
- XLVIII. EGIDIVS *Hiebl* Ingolstadien. administrator Monasterij per annum, eligitur Abbas die 20. Aprilis, an. 1595. præfuit an. 1. m. 5. d. 3. in vniuersum an. 2. m. 5. d. 3. ob. 23. Febr. an. 1595.
- XLIX. ANDREAS tertius dictus *Egkler* Professus *Tegernseem.* elig. 20. Aprilis, an. 1595. præf. sept. 14. ob. die. 12. Julij eiusd. anni.
- L. IOANNES *Nablas Lautterpacen.* Conuentualis Monasterij S. *Emmerammi Ratispon.* electus & confirmatus in festo S. *Egidij*, benedicitur in die Sancti *Remigij*, Laudabiliter adhuc præst, cui vitam & felicitatem Deus largiatur.

MOSPVRG.

COLLEGIATA Ecclesia Canonicorum secularium, olim Monasterium, nunc Clericorum Collegium. Arnoldus Imperator Monasterium, & Abbatiam Mospurg dedit ac subiecit Ecclesiæ Frisingensi, vt perpetuo sub eius defensione & potestate esset, Anno 895. Ex libro traditionum Ecclesiæ Frisingensis, tribuit illi Monasterio etiam pascua super eum locum, vbi *Ambra* in *Isaram* cadit. Idem confirmat hanc subiectionem & donationem Arnoldi Imperatoris Otto primus Imperator, Anno 940.

DE hac extat etiam sententia Adalberonis Comitis, in cuius Comitatu Mospurg situm est &c. ex mandato Cunradi Imperatoris, qua sententia Mospurg Monasterium Ecclesiæ Frisingensis iuri ac dominio perpetuò adiudicatur, an. 1127. ex eodem libro.

HEINRICVS sanctus è fundamento extruxit templum Mospurgij, pro secularib. Sacerdotibus, Auent. fol. 507. De translatione D. Castuli è Roma ibidem Auent. fol. 725.

ADDITIONES.

REGALIS CONCESSIO DE
MOSPVRG.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. *Arnolfus* diuina fauente clementia Rex. Si de rebus terrenis, quibus Dei largiente gratia præ cæteris mortalibus ditati sumus, Ecclesias in honore sanctorum electorum constructas, nostræque Regalitati subiectas sublimare studemus, nõ solum ad diuturnam regni nostri stabilitatem, verum etiam æternæ felicitatis gloriam adipiscendam, id nobis optimum esse credimus. Idcirco namque cognitum esse volumus industria omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium, nostrorumque præsentium scilicet & futurorum, qualiter nos pro æternæ remunerationis incremento, nec non *Carlomanni* chari patris nostri animæ remedio, cæterorumque Regum, antecessorum

forum videlicet nostrorum diuina memoria, verum etiam per interuentum *Walthonis* venerabilis nostri Episcopi, & per eius assiduam fidelis obsequii beneuolentiam ad sedem *Frisingensis* Ecclesie in honore DEI genetricis semperque virginis *Mariae* consecratum, quoddam Monasterium *Mospurg* nuncupatum, in ueneratione beati *Castuli* martyris Christi constructum, cum cortilibus & aedificiis, campis, agris, pratis, pascuis, syluis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, viis & inuis, exitibus & redditibus, vineis, terris, cultis & incultis, mobilibus & immobilibus, cunctisque appendiciis, ad idem Monasterium iuste legitimèque pertinentibus post obitum dilectae matris nostrae *Ludwivide* proprietario iure concessimus, eo nempe tenore, ut supradicto Monasterio propriis priuilegiis liceat uti clericis, etiam ibidem ad sanctum altare seruientibus, cum omni adminiculo stipendij in eodem loco, ut vacent orationibus benè procuratis sub mundiburdio & defensione praefatae sedis, id est, *Frisingensis* Ecclesiae Episcopi ipso Episcopo in omni vsu & utilitate sui arbitrio & dispositione fruendum, aeternaliter decreuimus. Iussimus quoque hoc praesens largitionis nostrae exinde conscribi praecipitum; per quod volumus firmiterque iubemus, ut iam dictum Monasterium sine vilius successoris nostri impedimento, per omnia labentis mundi tempora proprie possidendum consistat. Et ut haec auctoritas nostra firmiorem in Dei nomine obtineat stabilitatem, manu nostra subtrus eam roborantes annulo nostro iussimus sigillari.

Wichreich Cancellarius ad vicem Domini *Dyeshmari* Archicapellani recognoui

Data XIII. Cal. Augusti. Anno incarnationis Domini DCCC. XCV. Indict. XIII. anno octauo regni Dni *Arnolphi* piissimi Regis.

IN nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis. *Arnolfus* diuina fauente clemencia Romanus Imperator Augustus, Cum vel orphanorum, aut Ecclesiarum omnium egentium inopiam opibus diuinis vel terrenis ditare cupimus, inde inmarcessibilem coronam a Deo adipisci credimus, & bonis praemia malisque poenas* inde in extremo examine aeterna praemia speramus. Quo acto nouerint omnes Christi nostrique fideles, tam futuri quam praesentes, qualiter nos pro remedio animae nostrae, omniumque parentum nostrorum in Christo dormientium requie, ad Monasterium in honore sanctae & indiuiduae Trinitatis, atque beatae virginis *Mariae*, nec non beati *Castuli* martyris in loco *Mosburc* constructo, ad altare ubi praedictus martyr requiescit, terram pascualem tradidimus in Septentrionali plaga loci sitam, scilicet a passo & choro, usque dum *Ambora* cadit in flumen quod dicitur *Isara*. Ea ueroratione, ut quicumque aut praefatae Sanctae *Mariae*, aut B. *Castuli* praetiosi martyris in praefato loco mansionem habuerint, omnem utilitatem quam siue in agris, siue in pratis, siue in syluis inde habere poterint nostrae clementiae munere sibi & omni posteritati de praefata familia existenti hereditario iure concessimus volumus, .. ut nullus patronus, siue Episcopus, siue magnus siue paruus ullam potestatem habeat inde aliquid facienda. Et ut haec nostrae imperialis traditionis auctoritas stabilis & inconuulsa per succedentium momenta temporum permaneat; hanc cartam inde conscriptam manu propria ut inde videre corroborantes sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

Ex lib. M.
S. Traditio
Frising.
monasterio

*

Signum Dni *Arnolphi* Rom: Imp: Aug:

Adalgero Cancellarius vice *Bardonis* Archicancellarij recognoui. Dat. VI.

Metrop. Salisb. Tom. II.

Vv

Nonas

Nonas Octobris anno Dominicæ incarnationis DCCC. XCVI. Indiēt. XI anno autem Dñi *Arnolphi* ordinationis XVI. regni verò V. Actum *Ratisponæ* in Dei nomine feliciter Amen.

Restitutio ac redonatio *Mospurg. & Veringn.* ab *Ottone* Rege *Lamberto* Episcopo *Frisingen.* facta, Anno 940.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. *Otto* Dei gratia Rex. Notum esse volumus omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus nostrisque, qualiter venerabilis *Frisingensis* Ecclesiæ præsul *Lantpertus* nomine nostram adiit celsitudinem deprecans, vt traditionem cuiusdam Abbatiolæ *Mospurg* dictæ ab antecessore nostro felcis memoriæ *Arnolfo* Rege, cum omnibus iure legitimeque ad eam, pertinentibus ad præfatam Ecclesiam condonata; nec non cuiusdam curtis regie *Weringa* à filio eius *Ludouico* simili modo illuc delegatæ, iterum auctoritatis nostræ scripto roborare dignaremur. Cuius petitioni per interuentum dilecti Ducis nostri *Berchtoldi* aliorumque fidelium nostrorum *Bavvariensis* regionis Principum, Episcoporum & Comitum libenter assensum præbentes, has easdē traditiones, nec non & mancipia his nominibus, *Otperht, Kevlind, Nisa, Adelmut* cum filiis eorum, pridem à Regibus illuc tradita, sed per quandam machinationem nouiter ad Casaream regiam exquisita, præfatæ Ecclesiæ præsuli potestati, que subiicimus, & per nostræ largitionis scriptum iterum renouamus. Iussimus quoque hoc præceptum inde conscribi, per quod volumus firmiterque iubemus, quatenus prædicta Abbatiola & Curtis regia *Veringa* nominata, ad *Frisingense* Episcopium iure pertineant perpetuo, & à Ministerialibus eiusdem Episcopi teneantur & possideantur. Vt autem hæc concessio nostra firmam sempiterno tempore stabilitatem obtineat, manu nostra roborauimus, annuloque nostro insigniri præcepimus.

Signum Dñi *Otonis* Serenissimi Regis.

Poppo Cancellarius ad vicem *Friderici* Archiepiscopi recognoui. Data III. Kal. Iunii, anno ab incarnatione Dñi DCCCC. XL. Indiēt. XIII. feria sexta. Anno autem *Otonis* piissimi regis IV. Actum *Salce* in Dei nomine feliciter Amen.

Litteræ Reuersales *Henrici* Com. Pal. *Rheni* *Bauariæ* Ducis anno M. CC. LXXXIV.

NOs *Henricus* Dei gratia Comes Pal. *Rheni* Dux *Bauariæ* tenore præsentium profitemur, quod vniuersa feuda infra nostri Ducatus terminos sita, quæ olim Comites de *Mospurga* à *Frisingensi* Ecclesia possidebant, post obitum eorundem Comitum sine hæredibus decedentium à manibus Reuerendi in Christo Patris & Domini nostri charissimi Dñi *Emichonis* venerabilis Episcopi *Frisingensis* suscepimus & hæredes nostri feudali titulo possidenda. Ipse verò Dominus Eps *Frisingensis* in collatione huiusmodi feudorum ad Comites quondam in *Mospurga* spectantium, excipiendo in se & suos successores retinuit Aduocatiã in *Ifen*, cū omnib. eiusdē Aduocatiæ atinētis, quæ sitis & inquirēdis. Et insup aduocatiã curiæ villicalis in *Mospurga* & dotis ibidē in *Schönberge*, & in vtrōq; *Hummel*, in quantum ad Domini Episcopi mensã spectant ante dicti. Et in *Seubolsdorff*, & in *Mosheim*, & in *Reut*, & si quas alias possessiones habet inter *Frisingam* & *Mosburgum* sitas in præsentiarum, has & non alias Dominum nostrum Episcopum recogno-

cognoscimus excepisse, De *Hummel* videlicet ambobus intelligimus, siue proprie-
 tate, siue iure aduocatio quicquam obtineat in eisdem. Nos verò è con-
 uerso promissimus pro nobis & hæredibus nostris, quod iudices nostri non
 debent de cætero ipsius Domini nostri Episcopi *Frisingensis* Iudices seu officiales
 impedire in iudicio exercendo in possessionibus suis apud *Aeutingen* sed Officia-
 les & iudices memorati Domini Episcopi iudicabunt in possessionibus suis ibi-
 dem omnia, præter homicidium, furtum quodcunque & violentes virginum &
 mulierum oppressiones, & legem *Corneliam*, in quantū pertinet ad fracturam
 hostiorum & domorum: & præter grauiavulnera ex gladiis & cultellis proueni-
 entia, deformitatem aut perpetuam læsionem aut mutilationem, aut nasus, aut
 oculorum priuationem inducentia, quæ debent per nostrum prouincialem iu-
 dicem iudicari. Apud vtrumque verò *Hummel* Domini nostri Episcopi iudices
 & Officiales omnes culpas, noxas & excessus iudicabunt, præter maleficos, vi-
 delicet Fures, homicidas, virginum & mulierum oppressores, quos iudicabunt
 Domini nostri Episcopi Iudices & Officiales, & iudicatos tradent nostris iudici-
 bus puniendos, sicut in districtibus quibusdam Ecclesiæ *Frisingensis* extra do-
 minium obtinuit ex antiquo. Ad hæc promissimus quod nos seu hæredes
 nostri forum in *Mosburga* in ædificiis vel structuris ciuitati *Frisingensi* præiudican-
 tibus nullo modo recuperemus, & quod nihil iuris in *Prait* spectantem ad
 Curiam villicalem in *Mosburga* vendicabimus aut vsurpabimus quoquo mo-
 do. Præterea etiam promissimus, quod nullum prorsus impedimentum
 præstabis in transitu & vectura falis, Ciuibus & hominibus extraneis occa-
 sione fori *Mospurgensis*, in ciuitatis præiudicium *Frisingensis*. Nouissimè pro-
 missimus Præposito & Canonicis in *Mosburga* obseruare illibatos omnes liber-
 tatis articulos subnotatos. Videlicet quod eisdem Præposito & Canonicis
 instituere & destituere liceat suos Colonos in eorum prædiis & possessioni-
 bus, atque corrigere iure suo illos, qui se per matrimonium ab Ecclesia
Mospurgensi alienarunt. Et quod familia eorundem Canonicorum & Officia-
 les non trahantur ad iudicium sæculare in causis leuibus, in quibus Canonici
 habebunt cognoscere de excessibus eorundem. Et quod fugitiui ad Mo-
 nasterium in *Mosburga*, & ad domos eorundem Canonicorum, quas inhabi-
 tant, gaudere debeant immunitate debita & consueta. Actum & datum
Mospurge Anno Domini Millesimo Ducentesimo LXXXIV. octauo Id. Octob.
 Festib. præsentib. subnotatis qui sunt. Domini *Gerhardus S. Andrea*, *Eberhardus S.*
Viti in *Frisinga*, Magr. *Henricus VVerden*. & *Fridericus Mospurgensis* Ecclesiarum Præ-
 positi. *Bertholdus de Hausen* Archidiaconus & Canonicus *Frisingensis*. *Herbordus* san-
 cti *Andrea* & *Leonardus* sancti *Viti* Ecclesiarum Canonici. *Otto de VValdeckh*, *Hein-*
ricus de VVoluoltsdorff, *VVimarus Vrumösel*, *Bertholdus de Geboltspach*, *Dietmarus* ^{Froms}
Lein, *Conradus Turtenfelder* milites. *Conradus de Halmberch*, *Albertus Iudmannus*, ^{esel.}
Conradus de Püttelbach, ministeriales Ecclesiæ *Frisingensis*. *Sterholdus de VVollin-*
gen. Ex parte verò nostra, Magr. *Fridericus* nostræ Curie Prothonotarius, *Albertus*
Comes de Hals, *Chunradus de Preisingen* *Alhardus de Vraunhouë*, *Rickherus* & *Harper-*
tus fratres de *Aheim*, *Heinricus de Phölingen*, *Burckhardus de VVinterberg* milites, &
 alij fidedigni. In cuius rei testimonium & perhennem memoriam præsentem
 paginam nostri appendentis sigilli munimine iussimus roborari.

Confirmatio Sigismundi Imperatoris, &c.

SIGISMUNDVS diuina fauente clementia Romanorum Imperator semper Au-
 gustus, ac *Hungaria*, *Bohemia*, *Dalmatia*, *Croatia*, &c. Rex. Notum facimus teno-

Metrop. Salisb. Tom. II.

Vv 2

repræ-

re presentium vniuersis, quod veniens ad nostræ presentiam Venerabilis *Nicodemus* Episcopus *Frisingensis*, Princeps & consiliarius noster deuotus dilectus, nobis humili cū instantiā supplicauit, quatenus sibi & suæ Ecclesiæ quandam litteram sigillatam sigillo pēdenti Illustris quondam *Heinrici* Comitis Palatini *Rheni*, & Ducis *Bauariæ* de Anno Millesimo Ducentesimo Octuagesimo quarto, Ecclesiæ & Episcopo *Frisingensi*, super certis bonis & iuribus eiusdem Ecclesiæ datam approbare & confirmare dignemur. Cuius quidem litteræ tenor per omnia sequitur, & est talis. Nos *Henricus* Dei gratia Comes Palatinus &c. vt proximè supra. Nos verò attendentes huiusmodi supplicationem præfati Episcopi *Nicodemi* fore consonam rationi, & habentes benignum respectum ac grata fidelitatis obsequia, quibus ipse nos, & sacrum studet honorare Imperium, animo deliberato, sanoque fidelium nostrorum accedente consilio, & de certa nostra scientia eidem *Nicodemo* Episcopo, & Ecclesiæ *Frisingensi* præscriptam litteram in omnibus suis punctis, clausulis & articulis, prout de verbo ad verbum iacet supra scriptum quantum digne possumus, auctoritate Cæsarea approbamus, & tenore presentium gratiosius confirmamus. Decernentes eam perpetuò obtinere roboris firmitatem presentium sub nostræ Imperialis maiestatis sigillo testimonium litterarum. Datum *Vlme* Anno Domini Millesimo Quadringentesimo Trigesimo quarto, die vigesima mensis Iulij, Regnorum nostrorum anno, *Hungariæ* Quadragesimo octauo, *Romanorum* Vigesimo quarto *Boemiæ* quarto decimo, Imperij verò secundo.

Ad mandatum Domini Imperatoris *Caspari*
Schlick Cancellario referente, *Petrus*
Kalde Præpositus *Northusensis*.

Bulla Translationis Collegiæ Ecclesiæ *Mospurgen*

Landshut am ad *S. Martinum*.

CLEMENS PP. VIII.

AD perpetuam rei memoriam. In eminenti militantis Ecclesiæ specula licet immeriti diuina dispositione constituti, & ex incumbenti nobis Apostolicæ sollicitudinis officij debito, circa Ecclesiarum quarumlibet statum prospere & salubriter dirigendum, ac concedente Domino in melius commutandum circumspectæ considerationis intuitum libenter dirigimus, ac statum ipsum interdum immutamus & alteramus, ac desuper disponimus prout salus animarum exigit, piaque Catholicorum Principum vota exposcunt, & rationabiles causse persuadent, nec non locorum & temporum qualitatibus, & conditionibus diligenter consideratis, pro diuini cultus augmento conspiciamus in Domino salubriter expedire. Cum itaque sicut accepimus, sæcularis & Collegiata, quæ etiam Parochialis existit Ecclesia sancti *Casuli* oppidi *Mospurgi Frisingen*. Diocesi olim vt asseritur per Duces *Bauariæ* fundata & dotata, prout etiam oppidum ipsum, per angusta & obicura existat fructusque, redditus, & proventus Canoniatuum & Præbendarum eiusmodi adeo tenues sint, vt vix vllus nobilitate, scientia, aut moribus insignis existat, qui pro iis consequendis instet, pauci quoque admodum. Canonici inibi resideant, iique neglectis iis quæ ad diuinum cultum & Ecclesiasticam disciplinam pertinent, ita libere & dissolutè viuant, vt ipsorum vita nihil fere à reliqui populi moribus differat, atque ita scandalo potius, quàm alicui ædificationi illi populi sint; Oppidum verò *Landshuta* Ciuitas nuncupatum eiusdè dioc. quæ

quæ prout primodictum oppidum sub ditione dilecti filij Nobilis viri *Gulielmi Bauariæ Ducis* consistit, celebris & valde frequens, locusque solitæ consilij ipsius *Gulielmi Ducis* residentia; ac in eo parochialis ecclesia ampla & benè instructa sub inuocatione sancti *Martini*, nulla tamen Collegiata existat, ac si in primodicta Ecclesia nomen, titulus, & denominatio Collegiata, ea parochiali duntaxat remanente, nec non dignitates ac Canonicatus & præbendæ ibidem existentes, quæ de iure patronatus ipsius *Gulielmi Ducis*, ex fundatione vel dotatione, vt asseritur, existunt, perpetuo supprimerentur & extinguerentur, secundo dicta verò Ecclesia sub inuocatione sanctorum *Martini & Castuli* impostèrum nuncupanda, in Collegiatam Ecclesiam cum mensa Capitulari, arca sigilloque communibus, ac in ea vna Præpositura principalis pro vno Præposito, vnusque Decanatus secunda inibi dignitates pro vno Decano, nec non decem, vel plures Canonicatus & præbendæ, pro totidem Canoniceis, qui omnes Capitulum ibi constituant, ac duodecim Capellaniæ Vicariæ nuncupandæ pro duodecim futuris inibi perpetuis Capellanis Vicariis nuncupandis, qui cum eisdem Præposito, Decano & Canoniceis missas & alia diuina officia celebrent Collegialiter, omnibusque horis Canoniceis in illa intersint perpetuo erigerentur, & instituerentur; illisque pro sua dote, Collegiata ac dignitatum, & Canonicatum suppressorum huiusmodi, nec non alia, redditus & bona, quæ idem *Gulielmus Dux* ad hunc effectum de bonis suis ad sufficientiam, vt ad dignitates, ac Canonicatus, & præbendas, perpetuasque Capellaniæ, sic erigen; iuxta sacros Canones & Concilij *Tridentini* formam qualificata, & quæ alias sua eruditione & doctrina, vitæque ac morum integritate non solum illi locò, sed toti provincie prodesse, ac ornamento esse, nec non damnatos quosdam hæresum errores apud aliquos inferioris *Bauariæ* Nobiles etiam hodie remanentes sua sollicitudine ab eis expellere possint, saluo sibi, & successoribus suis iure patronatus, & præsentandi tales personas assignare intendit, applicarentur, nec non omnia & singula perpetua simplicia beneficia Ecclesiastica, in secundo dicta Ecclesia existentia, cum primum vacauerint vniuerentur, sic, vt cura animarum Parochianorum secundo dictæ Ecclesiæ per vnum vel plures, ex futuris inibi Canoniceis huiusmodi ad hoc per Capitulum deputant, & per loci ordinariū, approbant, exerceretur, procul dubio orthodoxæ fidei in illis partibus conseruationi & stabilimento plurimum consuleretur, faciliusque viri moribus & scientia præditi qui secundo dictæ Ecclesiæ deferuire, ac dignitates, ac Canonicatus & Præbendas, nec non Capellaniæ in ea obtinere vellent, reperirentur, diuini cultus maximum, in secundo dicta Ecclesia, cum maiore etiam, decore & venustate, secundo dicti oppidi, & tam illius, quam primodicti oppidi populi ædificatione & salute susciperet incrementum. Quare nobis humiliter supplicari fecit idem *Gulielmus Dux*, quatenus in præmissis oportune providere de benignitate, apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia Ecclesiastica aliis vniri tenerentur exprimere verum annum, valorem, etiam beneficij cui aliud vniri peteretur, alioquin vnio non valeret & semper in vnionibus Commissio fieret ad partes, vocatis, quorum interesset, quique Ecclesiarum quarumlibet decorem & venustatem, ac in melius directionem, nec non in illis diuini cultus augmentum, & animarum salutem, nostris potissimum temporibus sinceris desideremus affectibus, cupientes quantum cum Deo possumus in præmissis salubriter consulere ad singularum Ecclesiarum, dignitatum, Canonicatum & Beneficiorum prædictorum, ac illis respectiue annexorum fructuum, reddituum, & prouentuum veros an-

nuos valores; nec non quorumcunque vnionum, annexionum, incorporationum, applicationum & appropriationum secundo dictæ Ecclesiæ hæcenus quomodolibet factarum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolicæ tenore præsentium ad omnipotentis DEI laudem, & gloriam, ac militantis Ecclesiæ exaltationem, nec non primo, & secundo dictarum Ecclesiarum feliciorum, & tranquilliorum statum & successum ex nunc, prout ex tunc, & è contra cum primum Canonicatus, & præbendas, ac dignitates in ipsa primo dicta Ecclesia obtinentibus, de sufficientibus ad eorum sustentationem redditibus, ab ipso *Gulielmo* Duce assignandis prouisum fuerit in primo dicta Ecclesia, videlicet, nomen, titulum, essentiam & denominationem, collegiatæ, nec non illius Canonicatum, & præbendam, ac dignitatum nomina, & titulos perpetuo supprimimus, & extinguimus, ac primò dictam Ecclesiam in simplicem parochialem, reducimus; secundo dictam verò Ecclesiam, quam sub inuocatione sanctorum *Martini & Castuli* in posterum nuncupari, & per dictum *Gulielmum* Ducem, qui ad id se obtulit ampliari, seu alias ornari volumus, & mandamus, in collegiatam Ecclesiam cum mensa Capitulari, sigillo, arca & capsula communibus, aliisque Collegialibus insignibus, & in ea vnâ Præposituram, dignitatem inibi principalem pro vno Præposito qui inibi præsit, & aliorum caput existat, ac vnum Decanatum, qui dignitas non tamen principalis ibidem existat, pro vno Decano, nec non decem vel plures Canonicatus, & totidem præbendas, pro decem Canonicis, qui vna cum Præposito, & Decano huiusmodi capitulum ipsius Ecclesiæ Collegiatæ constituent, ac duodecim perpetuas Cappellanas Vicarias nuncupandas, pro duodecim Capellanis duodecim perpetuis Vicariis nuncupandis, qui cum eisdem Præposito, Decano, & Canonicis in ea quotidie missas, horasque Canonicas, diurnas pariter & nocturnas, ac alia diuina officia recitare & celebrare, illisque interesse, ac secundo dictæ Ecclesiæ in diuinis deseruire teneantur, etiam perpetuo erigimus, instituimus, illisque sic erectis & institutis, & seu mensæ Capitulari huiusmodi pro sua dote, & Præpositi, ac Decani, nec non Canonicorum, & Capellanorum huiusmodi sustentatione, onerumque eius, & secundo dictæ Ecclesiæ pro tempore quomodolibet incumbentium supportatione, omnia & singula perpetua simplicia beneficia Ecclesiastica in secundo dicta Ecclesia existentia, cum primum illa per cessum, vel decessum, aut quamuis aliam demissionem vel amissionem, illa nunc obtinentium, aut alias quouis modo, etiam in mensibus, nobis & Apostolicæ sedis dispositioni reseruatis, vel ad ordinarij collatoris dispositionem pertinentibus etiam vigore constitutionum Apostolicarum, vel alternatiuorum mensium, aut quorumcunque indultorum, & priuilegiorum Apostolicorum pro tempore editorum, & emanatorum, aut concessorum, etiam si nunc actu illa, aut quoduis illorū vt præfertur, vacant, aut vacare contigerit, ac omnia & singula primo dictæ Ecclesiæ (centum Ducatis annuis pro illius Rectore pro tempore existente, qui curam animarum ibi pro tempore exercet, sustentatione duntaxat exceptis) nec non canonicatum, & præbendarum, ac dignitatum suppressorum, & extinctorum huiusmodi, aliisque per dictum *Gulielmum* Ducem, vt præfertur, assignanda, proprietates & bona, fructusque, redditus, & proventus, & alia quomodolibet & nuncupata, & in quibusuis rebus consistentia, quæ omnia inter Præpositum, Decanum, & Canonicos Ecclesiæ Collegiatæ per præsentem erectæ pro tempore deseruientes, iuxta prouidam ordinationem desuper à nostro & sedis Apostolicæ Nuncio in illis partibus commo-

commorante, vel ab ordinario loci faciendam, ac quorum saltē parte tertia juxta formam per Decreta Concilij *Tridentini* desuper præscriptam, pro quotidianis distributionibus assignari, & per personaliter deseruientes tantum lucrari debeat, & quorum omnium duplicem, vel aliam Nuncio, siue ordinario præfacis beneuifam Præpositus, & Decanus prædicti, Canonici verò maiorem etiam portionem, quam Capellani habeant, similiter perpetuò vnimus, annectimus, & incorporamus, amplificamus, & appropriamus; illa omnia sic applicata consequi, habere & retinere, nec non locare, dislocare, & arrendare, ac fructus, redditus & prouentus eorundem percipere, exigere, leuare, & recuperare, ac in suos usum, & vtilitatem, onerumque sibi incumbentium, supportationem conuertere, cuiusuis licentia desuper minimè requisita; ita tamen, quod Capitulum secundo dictæ Ecclesiæ, curam animarum illius Parochianorū per vnum vel plures de gremio ipsius Capituli ad id per eos eligendos, seu deputandos, & ab ordinario loci approbados exercere, & illius onera subire teneantur; Ac insuper Collegiatæ Ecclesiæ per præsentem erectæ, illiusque Capitulo, Præposito, Decano, Canonicis & Capellanis, aliisque Ministris prædictis, nec non rebus, & bonis, vt omnibus & singulis priuilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, prærogatiuis, fauoribus, indulgentiis, & aliis gratiis spiritualibus, & temporalibus, ac tam Apostolicis, quam aliis, quibus aliæ Collegiatæ illarum partium, eorumque Capitula, dignitates in eis obtinentes, & Canonici, ac alij ministri de iure, vsu, & consuetudine, vel ex priuilegio, aut aliâ quomodolibet vtuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac vt, frui, potiri & gaudere possunt, & poterunt, quomodolibet in futurum, pariformiter, & sine vlla prorsus differentia, vt, frui, potiri, & gaudere liberè, & licitè, etiam perinde ac si illa ei à principio concessa essent. Quodque pro dictæ Collegiatæ Ecclesiæ per præsentem erectæ, illiusque personarum, rerum & bonorum felici directione, prospero; statu, ac Ministrorum pace & tranquillitate, quęcunq; licita, & honesta, sacrisque Canonibus & decretis Concilij *Tridentini* minimè contraria, ac tam circa modum percipiendi fructus, ac distributiones, ac inseruendi Ecclesiæ, quam aliâs felix illius regimen cōseruantia statuta, & ordinationes condere, ac toties, quoties expediens videbitur, reformare, mutare, & corrigere, ac etiã de nouo facere, liberè & licitè valeant, indulgemus, ac licentiã & facultatē concedim⁹, ac demum prædicto *Gulielmo* Duci pro se, suisque successoribus. *Bauariæ* Ducib⁹ pro tēpore existētibus ius patronatus, & præsentandi personas idoneas ad Præpositurã & Decanatu, singulosque Canonicos & præbendas, ac Capellanas per præsentem erectos, quoties illos & illas deinceps perpetuis futuris tēporibus, etiã apud sedē prædictã, etiã ex quorūcunq; personis vacare contigerit, ac etiã hac prima vice ordinario loci per eundē ordinariū ad præsentationē huiusmodi instruen, & aliâs eo modo, quo ipse *Gulielmus* Dux ius patronat⁹ & præsentandi ad dignitates, ac Canonicatus, & præbendas suppressas huiusmodi ante suppressionem habuit, ac prædecessores sui habuerunt, itidē perpetuo reseruamus, cōcedimus, & assignamus, ipsumque ius patronatus, & præsentandi *Gulielmo* Duci & successoribus eisdē, tanquã veris & legitimis fundatoribus, ac patronis, ex veris, meris & primæuis fundatione aut dotatione cōpetere, nec illi vnquã, etiã per Romanū Pontificē sedēque prædictã, aut illius etiã de latere legatos, vel quosuis alios, absque expresso *Gulielmi* Ducis, & successorum eorundē cōsensu, ac speciali, & expressa præsentium mentione derogari, neque derogatū censerī, præsentem quoque literas nullo vnquã tempore, etiã ex eo, quod quicunq; interesse habentes, vel preterdentes vocati nõ fuerint, neque promissis consenserint, causaque, propter quas illa

emanarint, examinatae, justificatae, vel verificatae non extiterint, aut ex quouis alio capite, vel causa de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quopiam defectu notari, impugnari, in jus vel controuersiam vocari, aut aduersus eas quodecumque juris, gratiae vel facti remedium impetrari posse, sed semper validas & efficaces existere, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, neque sub quibusuis similibus vel dissimilibus gratiarum reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore etiam in crastinum assumptionis cuiusuis Romani Pontificis ad apostolatus apicem, per quasuis constitutiones, apostolicas, & Cancellariae apostolicae regulas pro tempore factas, & concessas comprehendendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties eis quouis modo derogari contigerit, toties in pristinum, & validissimum statum suum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac de nouo etiam sub quacunque posteriori data, per *Guilelmum* Ducem & successores praedictos eligent concessas esse & censi, ac ab omnibus inuiolabiliter obseruari, & ita per quoscunque iudices, Commissarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac sanctae Rom. Ecclesiae Cardinales, sublata eis, & eorum cuiuslibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari & diffiniri debere decernimus. Insuper eiusdem Ecclesiae Collegiate sic erectae Praepositum amplioribus priuilegiis & gratiis prosequi volentes, eidem pro tempore existenti Praeposito, & Mitra & Baculo pastoralibus ad instar Abbatum, vsu Mitrae & Baculi habentium in eadem Ecclesia uti, indumenta, & paramenta Ecclesiastica, & aliam sacram suppellectilem, in quibus oleum sacrum non adhibeatur, pro eiusdem Ecclesiae duntaxat vsu benedicere; confessiones Christi fidelium quorumcumque in eadem Ecclesia audire, iniunctaque ipsis poenitentia salutari, absolutionis beneficium eis impendere, nec non quoscunque ad ipsum humiliter recurrentes, a crimine heresis, dummodo non sint relapsi, ac facta per eos secreta vel publica, arbitrio ipsius Praepositi abiuratione, iniunctaque illis pariter poenitentia salutari, in foro conscientiae duntaxat absolueri; Confessarios ad audiendas confessiones in ipsa Ecclesia de gremio Capituli vel Capellanorum, dummodo tamen ab ordinario loci approbentur, eligere & deputare, Confraternitatis fidelium in eadem Ecclesia ad Dei laudem, & animarum salutem, piorumque operum exercitium erigere & instituere; officium diuinum in eadem Ecclesia iuxta Romani Breuiarii ritum decantari, & celebrari, horas vero Canonicas nocturnas, & diurnas cantari, vel legi, prout temporum necessitas, vel honestas tulerit curare, & circa praemissa, prout magis secundum Deum ad fidelium aedificationem expedire iudicauerit, praescribere valeat, auctoritate, & tenore praedictis facultatem & auctoritatem perpetuo impartimur. Praeterea ut Ecclesia praedicta in debita ueneratione habeatur, & Christi fideles eo libentius deuotionis causa ad ipsam Ecclesiam accedant, quo exinde caelestis gratiae donis uerius conspexerint se esse resectos, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum *Petri & Pauli* Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui eandem Ecclesiam in *Natiuitatis*, ac secundo *Paschalis Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi*, *Pentecostes*, *Corporis Christi*, *Assumptionis B. Mariae*, ac anniuersario *Dedicationis* ipsius Ecclesiae diebus a primis uesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi, singulis annis deuote uisitauerint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, quo die praedictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Quocirca dilectis

filiis

filiis Curia: caufarum Camera: apostolica: generali auditori, & *Ratispon.* ac *Fri-
singen.* officialibus per presentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi,
vel duo aut vnus eorum, per se vel alium, seu alios, literas predictas, vbi & qua-
do opus fuerit, ac pro parte dicti *Gulielmi* Ducis, siue successorum suorum fue-
rint requisiti, solemniter publicantes, eis que in premissis efficacis defensionis
præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra presentes, & in eis contenta
quæcunq; inuiolabiliter obseruari, ac Gulielmum Ducem, & successores præ-
fatos, ac alios, quos ipsæ concernunt, eis pacifice gaudere; non permittentes
illos desuper contra earundem presentium tenorem quomodolibet indebitè
molestari, impediri, aut inquietari; contradictores auctoritate nostra appella-
tione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis seruatis proces-
sibus easdem censuras, & pœnas aggrauando, interdictum Ecclesiasticum appo-
nèdo, & si opus sit, auxilium brachij secularis inuocando; non obsta. priori vo-
luntate nostra præfata, ac Lateranen. Concilij nouissimè celebrati, vniones per-
petuas, nisi in certis casibus à iure permissis, fieri prohibentis, ac piæ memoriæ
Bonifacij PP. VIII. similiter prædecessoris nostri, qua cauetur, ne quis extra suam
ciuitatem, vel Diocœsin, nisi in certis exceptis casib. & in illis vltra vnâ dietam à
fine suæ Diocœ. ad iudiciũ euocetur, seu ne iudices à sede præfata deputati extra
Ciuitatem vel Diocœsin in quibus deputati fuerunt, contra quoscunq; proce-
dere, aut alij vel alius vices suas committere præsumant, ac de duabus dietis in
Concilio generali edita, & quibusuis aliis apostolicis, nec non in prouinciali-
bus & synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionib.
& ordinationibus, nec non primodictæ Ecclesiæ, etiam iuramento, confirma-
tione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & tam in illius, quã
secundo dictæ Ecclesiæ, ac dignitatum, Canoniatuum, & præbendarum ac be-
neficiorum in illis existentium fundatione, per quoscunq; Ecclesiasticos etiam
Romanos Pontifices prædecessores nostros, vel successores, quacunq; etiam
Imperiali, Regiâ, Ducali, vel alia quauis Ecclesiastica, vel sæculari dignitate fun-
gètes, seu ad eorum requisitionem quauis auctoritate edicis, etiã quod personæ
ad aliquot ex Canoniatibus, & præbendis ac dignitatibus primodictæ, nec nõ
ex beneficiis secundo dictæ Ecclesiarum assumendæ ex dictis oppidis, seu aliis
certis locis, Ciuitatibus, vel Diocœsibus, ac de certo genere personarum esse, &
assumi debeant disponentibus, statutis, & consuetudinibus, nec non priuilegiis,
& indultis etiam apostolicis primodictæ Ecclesiæ, illiusque Capitulo, & aliis
personis, sub quibuscunq; tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam deroga-
toriarum derogatoriis, aliisq; efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irri-
tantibus, & aliis decretis, etiam Motu proprio, & ex quibusuis causis, ac quauis
consideratione, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis, & innouatis, quib.
omnibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus, specialis specifica, expressa
& indiuidua, non autem per clausulas generales etiam id importantes, mentio,
seu queuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma, ad hoc ser-
uanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omissõ,
ac forma in illis tradita, obseruata, inserti forent, præsentibus similiter pro ex-
pressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat spe-
cialiter, & expressè derogamus, contrariis quibuscunq;. Aut si aliqui super
prouisionibus sibi faciendis de dignitatibus, & Canoniatibus primodictæ, ac
beneficiis secundo dictæ Ecclesiæ specialis, vel aliis beneficiis Ecclesiasticis in
illis partibus generales dictæ sedis vel Legatorum eius literas impetrarint, et-
iam si per eas ad inhibitionem, reservationè, & decretum, vel aliàs quomodoli-
bet est processum, Quas quidem literas & processus habitos per easdem, & inde
secura

secuta quæcunque ad dignitates, Canonicatus, & præbendas ad beneficia vnita huiusmodi volumus non extendi, sed nullum per hoc eis, quo ad assecutionem dignitatum, Canonicatum, & præbendarum, ac beneficiorum aliorum præiudicium generari, seu si pro tempore existenti Episcopo *Frisingen.* vel quibusuis aliis communiter vel diuissim ab eadem sit sede indultum, quod ad receptionem, vel prouisionem alicuius minimè teneantur, & ad id compelli, quodque interdici, suspendi, vel excommunicari, vel extra aut ultra certa loca ad iudicium euocari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet aliis priuilegiis, indulgentiis & literis Apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumcunque tenorem existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat, quomodolibet differri, & de quibus, quorumque rotis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis; Prouiso, quod propter vnionem, annexionem, & incorporationem huiusmodi in primo dictæ Ecclesiæ animarum cura nullatenus negligatur, vel aliàs illa, ac beneficia vnita prædicta debitis non fraudentur obsequiis, sed primo dictæ Ecclesiæ, & beneficiorum vnitorum huiusmodi congruè supportentur onera consueta. Volumus autem, vt, antequam præmissa sortiuntur effectum, Canonicis, & dignitates primo dictæ Ecclesiæ obtinentibus, de sufficientibus ad eorum congruam sustentationem redditibus per eundem Guilielmum Ducem prouideri debeat, alioquin præsentibus nullius roboris existant. Datum *Roma* apud Sanctum *Marcum*, sub annulo piscatoris, die VII. Iulij, M. D. XCV. Pontificatus nostri anno quarto.

M. *Vestrius Barbianus.*

Catalogus Præpositorum Collegiæ Ecclesiæ S. CASTVLI in Mosburg: quorum nomina in Archivo *Landshutana* Ecclesiæ sparsim adhuc reperiuntur: reliquorum enim æ maxime primorum memoriam, quam ipsa cum primæua Ecclesiæ fundatione, eiusdemque deinceps institutione in Collegiatam, ex quo anno 890. jam Abbatia & Monasterium fuit, pridem interciderunt.

ELINHARDVS Præpositus S. *Castuli*, ex libr. histor. B. *Castuli*.

ALBENO, An. C. 1171. circiter præfuit. Ex libr. tradit. Eccles.

CONRADVS an. C. 1199. ex eod. libr. tradit. Hic C. si conijcere licet ex vna eademque & antiqua manu) interfuit consecrancis *Otoni Frisingensi*, & *Hartuvino Eystettensi* piscopis Basilicam S. *Castuli Mosburgæ* tunc nouam; veterem ex incendio contiguæ domus Comitis *Conradi*, tota collapsa anno 1212.

Post hunc desiderantur forte vnus & alter.

HEINRICVS, An. C. 1278. Ex tab. locationis hoc vnum.

FRIDERICVS de *Stauffenberg*, An. C. 1284. Interfuit transactioni feudali inter Principes *Heinricum Bavaria* Ducem, & *Enichonem* Episcopum *Frisingen.* testis. præfuit adhuc anno 1310.

OTTO de *Mæchselrain*, Canonicus *Frisingen.* An. C. 1322. Ex donatione D. *Ortvini* Canonici *Mosburg.* Confirmavit dein statutam Missam cum annuerialio à Dominis *Zinshaid* fundatam an. 1343.

WERNHERVS, an. 1347. Binæ tantum locationis literæ de hoc supersunt eiusdem anni.

SEIFRL

SEIFRIDVS de *Fraunberg*, An. C. 1354. ex tab. locationis. Præfuit adhuc anno 1374.

DEGENHARDVS de *Chamer*, an. 1379. ex tab. item locat. obiit in reditu propè *Romam* anno circiter 1388.

DEGENHARDVS *Weichfer* Baro, Canonicus *Frisingen*, an. 1388. Præfuit per collationem *Vrbani* Papæ VI. ex speciali reservatione Pontificum. Præfuit adhuc anno 1398. electus post in Episcopum *Frisingen*, an. 1410.

CASPARVS *Seiboltsdorfer*, an. C. 1428. ex tab. Notarij pub. Alia instrumenta eiusmodi de controuersis inter hunc & Capitulum compositis ostendunt eum durasse in annum 1438.

IOHANNES *Pienzenaur*, an. C. 1465. Ex instrumento item pub. Notarij. Postremæ post accessionem noui Chori *Mospurgæ* translationi S. Martyris interfuit adhuc an. 1469.

Maukircher, an. 1471. Nomen huius nudum superfuit in mortilogio Ecclesiæ, durauit verò in sequentem.

THEODORICVS *Mayer* Præpositus item *Frising* an. 1486. Extant donationes eiusdem, obiit an. 1507.

BERNHARDVS *Arzt*, Canonicus *Frising*, an. 1513. Huius, uti & sequentium præfens successio constat ex Registris officio Præposituræ propriis, quorum quædam defunt.

LEO *Lesch*, S. Th. D. Præpositus in *Isen*. Ex Canonico Episcopus *Frising*, an. 1551. factus, resignauit Præposituram *Mospurg*, an. 1554.

CONRADVS *Hunderjar* Th. D. an. C. 1555. S. *Martini* parochus *Landshuti* resignauit succedenti.

IOANNES à *Via* Th. D. an. C. 1561, parochus item S. *Martini*: post eius verò Canonicam depositionem.

MARTINVS *Eisengrein* S. Th. Licent. an. C. 1564. resignauit liberè.

ANTONIVS *Fabritius* Th. D. an. C. 1569. Parochus item ad S. *Martinum*, post Decanus *Patauiens*.

SEBAST. *Franz* Th. Licentiatus, an. 1582. Decanus *Monacen*. &c. In hoc desinunt Præpositi *Mospurgenses*. Erecta verò est *Landshuti* Collegiata Ecclesia ad SS. *Martinum* & *Castulum* 27. Aprilis. An. 1596.

Nicolaus Episc. Seruus Seruorum Dei. Dilecto viro Nobili viro *Ludovico* Duci *Bauariæ*, salutem & apostolicam benedictionem. Iustis petentium desideris dignum est nos facilem præbere assensum, & vota quæ à rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Ea propter dilecte in Domino filii tuis postulationibus grato concurrentes assensu, Ius patronatus & præferendi personas idoneas ad singulos Canonicatus & præbendas Ecclesiæ S. *Castuli* in *Mospurg Frising*. Diocesi, cum vacant, quod antecessores tuos *Bauariæ* Duces qui fuerunt pro tempore, & te ex speciali apostolicæ sedis priuilegio, cui non est in aliquo derogatum canonicè proponis adeptos, ac in cuius possessione pacifica vel quasi te assersis existere, sicut illud canonicè & pacificè possides, tibi auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio commutimus. Nulli ergo omninò hominum liceat, hanc paginam nostræ confirmationis & communionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum *Petri* & *Pauli* Apostolorum eius se noverit incursum. Datum *Romæ* apud sanctum *Petrum*, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, quadringentesimo, quinquagesimo tertio, decimo Kal. Martij, Pontificatus nostri anno septimo,

Corherm

Corhern von Nospurg Freyheit von der neuen Corherren wegen.

Wir Ludwig von Gottes gnaden Pfalenzgraue bey Fein/ Herzog in Nidern vnd Obern Bayern. Bekennen mit dem Brief öffentlich das für vns kommen sein die Ersamen vnser andechtig vnd lieb getrew der Tschant vnd gemeinlich das Capitel vnser Stiff zu Nospurg/ vnnnd haben vns fürbracht solch mercklich abgeng vnd gebrechen so sy in vnsern Stiff zu Nospurg haben von der Marter wegen in Latein Exspectans die wir in auff dieselben vnser Stiff geben haben vnd noch füran geben mochten werden das dann Knaben vnd nicht Priester noch zu Priestern ale sein vnd vil ander gebrechen dadurch der Stiff nit nach notturfft gesungen/ mit Mess gelesen vnd der Gogdienst dadurch verhindert werde/ vnnnd wanne vns aber solchs vnnnd anders das durch der Gogdienst verhindert werdet/ nit lieb vnd als wol billich ganz wider ist/ haben wir solich vnd ander jr begeren vnd anbringen als der Landtsfürst Vogt vnd Lehenher/ vnd als der Fürst der den Gogdienst an aller statt fürdern vnd nit hindern soll noch wil billich erhört vnd haben in die sunder Gnad gethan vnd Freyheit geben/ tun vnnnd geben in die auch wissentlich mit dem Brief/ das wir wellen das füran keiner bey in auff den benannten vnsern Stiff weder zu Corhern noch Marter von vns noch vnsern Erben auffgenommen noch dahin geben werden soll/ er sey dann Priester oder zum mynsten X X. Jahr alt/ damit der Gogdienst füran volbracht/ gemert/ vnnnd nit verhindert werde/ wir wellen auch ernstlich welch also zu warten von vns dahin geben sein oder füran geben würden in der maß vnnnd in dem alter/ als vor geschriben seet das der oder dieselben von fundan des Gottshaus Stiffis vnnnd des Cors gewonheit mit lesen singen gehorsam vnd andern an sich nemen thuen vnd verbaren solch alsdann bey in in guter Gewonheit vnd herkommen ist/ welche aber des nit taten vnnnd darin sewmig warden/ so wir des von dem Tschant vnnnd Corhern vnderriete sullen der oder dieselben bey der benannten vnser Stiff nit auffgenommen/ noch durch vns presentirt werden. Es sol auch ein yeder den wir dahin presentiren der nit Priester ist in dem ersten Jar so wir in dahin presentirn/ zum mynsten Epistler Ewangelier vnd darnach Priester so das alter halb amersten sein mag werden/ damit der Gogdienst vnnnd Cor gefördert vnnnd nit verhindert werde. Ob auch geschache das wir in Marter geben oder eilich amen oder mehr presentiren anders dann die vnser Gnad vnd Freyheit innhelt auß vergessen/ oder wie das geschach/ soll es doch kein krafft nit haben/ sunder bey der vnser Freyheit vnd Gnaden beiben vnnnd gehalten werden. Wir haben in auch die sunder Gnad getan/ das wir wellen ernstlich das jr Sagermaister der yste ist oder fürbas wirdet aller stewr wacht vnd Scharwerch in der benannten vnser Statt Nospurg frey vnd ledig sein vnd den Corhern zuuersprechen seen sol/ als wir das mit vnsern lieben getrewen den Bürgern zu Nospurg reden lassen haben. Darauff so gebieten wir allen vnsern Pfigern Richtern/ Amptleuten/ Bürgern vnd allen andern das jr die benannten vnser Stiffis Dechan vnd Corhern bey solchen vnsern Gnaden vnd Freyheiten haltee/ dawider nit tut noch andern zetun gestattet bey vnsern Dagnaden vnd schwärer straf zuuermeiden. Geben zu Landshut am Sontag Efto mihi nach Christi Geburt X IV. vnd im sechs vnd sunffsigisten Jar.

MONICHSMONSTER MONASTERIVM ORDINIS S. BENEDICTI

ADDANVS IVM infra Vohburg fundauit Diepoldus Marchio de Vohburg. huius nominis quartus, qui ambo Monasteria, Reichenpach & Waldsaisé, etiam fundauit secundum D. Laurentium Hochvart, in Catalogo suo Episcoporum Ratisponensium.

HOC